In Nuperam Horrendam

MONTIS ÆTNÆ

ERUPTIONEM,

CARMEN.

AUTHORE *D. B.*

Fama eſt, Enceladi *ſemuſtum fulmine corpus*
Urgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam expirare *caminis:*
Et ſeſſum quoties motat *latus, intremere* omnem
Murmure Trinacriam, *& cœlum ſubtexere fumo.*
Virg. lib. 3. Æneid.

LONDINI,
Typis *G. G.* & Impenſis *Moſis Pitt* in *Parva Britania.*
M DC LXX.

4
Godfrey: Boſcawen 1672

BODLEIAN
P
11 SEP 1974
LIBRARY

IN NUPERAM HORRENDAM

Montis Ætnæ

Eruptionem, *CARMEN.*

ILle ego, qui quondam tacui, alta ſilentia rumpam;
Quis ſileat? Mundi *moles operoſa* laborat,
Et terræ removentur *maxima fundamenta*:
Materiam hæc *tenui* poſſint præbere *poetæ*.

Non opus eſt *Musâ*; tu qui moderaris habenis
Orbem, *Euros* fræna, & *laceræ* miſerere *carinæ*:
Te petimus, ſacriſque tuis *advolvimur* aris
Poſcere opem, noſtris audacibus *annue* cœptis.

Mira cano ſed *vera* cano; *Trinacria* dicta eſt,
(*Italiæ* ſemel una fuit, modo diſcidit æquor
Hac) ubi aberrantis naturæ hæc monſtra reperta.
Ætna fuit nomen Montis, modo *Monte-Gibello*,
Vertice quæ celſo celebris, flammaque frequenti;
Sydera ſumma ferit, ſuperatque cacumine *nubes*,
Suffulcit *cælos*, vix mons ſupereminet illam:

Ob ſublime caput *Cæleſtis* dicta *Columna.*
Tam bene nota fuit, *Siculorum* terra vocata
Ætna; etiam *Catanam* dixerunt nomine montis.
Omnibus hæc ſæclis flammavit (crede poetis)
*Ardor & accenſi montis ſibi nomina fecit: *Ab αἴθειν ardere fit αἴθνη *Æthna.*
Sæpius ante obitum *Chriſti* comperta flagrare,
A *Chriſti* morte hic pluſquam centeſimus ignis.
Hoc ſub monte putâre antiqui *Tartara* nigra,
Catholici hic ſtatuunt loca *purgandis animabus.*
Produnt *Hiſtorici* ter mille arſiſſe per annos;
(Circiter hoc tempus ſoliti deſcribere rerum
Hiſtoriam, ante hoc nil certum poſſit haberi)
Forſitan accendi cœpit ſub *origine mundi:*
Perpetuas maneat flamma hæc & ad uſque *ruinas.*

Vulcani templum veteres hoc monte locarunt;
Illi namque ſacer locus eſt: excudere ferrum
Semper *inextinctus* fornacibus *ignis anhelat.*

Nunc peragam, ſonitum cur ructant antra perennem.
Hic jocus eſt *Vatum* (veniam concede *Poetis*)
Tentavere olim *Stellas* rapuiſſe *Gigantes*;
Mole incredibili nituntur *ſcandere cœlum*,
Jupiter in terram mittit ſua fulmina ſæva,
Diſſipat, excutiens ſubjectum *Pelion Oſſæ:*
Enceladus Cyclops celſo hoc ſub monte ſepultus,
Et rapidos *patulis* expirat *faucibus* ignes;
Ardet humus flamma, quæ profluit ore *Gigantis:*
Æſtuat *infelix* vaſto ſub pondere montis,
Et tentat mutare *latus*, ſic intremit omnis
Trinacria, & *latis* vertex tonat igneus *antris.*

De-

De cauſis dicam, quæ res incendia *nutrit*;
Unde tremit tellus, rapidæ quæ *pabula* flammæ:
Æſtibus aſſiduis cur mons in vertice lucet;
Ignes quid paſcit: *Siculorum* terra bitumen
Continet in gremio, *Sulphur* quoque conſtat habere;
Inſula *Siciliæ* eſt non paucis plena cavernis,
Atque ita vel *minimâ* terra eſt penetrabilis *aurâ*:
Omnibus eſt illis ſpeluncis ventus, & aër,
Hic ubi percaluitque *rogos* ex Sulphure gignit:
Spiritus incluſus conatur vertere terram,
Ignes corripuit mons, jactans flumina diri
Ignis, & in *cineres* gentes incendia vertunt.

Præbet terra cibos flammæ, qui viribus adſint
Abſumptis, nam perpetuis opus eſt *alimentis*,
Quæ foveant igni, ſtatim conſumeret æſtus,
Si ſemel aſſiduæ ceſſarent *pabula* flammæ.

Incluſa eſt etiam *candentibus* unda *cavernis*,
Labitur immodicus *ſecretis callibus* humor;
Atque undis alitur fervor, ni paſceret ignem
Humor aquæ, ſubito flamma hæc extincta fuiſſet.
Expedii, cur *Ætna* ignes fornacibus efflat.

Hunc montem nix alta tegit, nec ſumma relinquit
Æſtate in media, *calidum* cum *frigore jungit*;
Frigida nix rutilâ eſt cum flammâ in vertice montis,
Igne nivi ſervante fidem (*mirabile dictu*)
Ardentes *horrent* ſcopuli canente pruina:
Ardorem glacies, glaciem nec *mitigat* ardor.

Affirmant

Affirmant quidam, montem multo eſſe minorem
Quam prius, & tandem ſeſe *conſumere* velle:
Nam minor apparet, quam *priſci temporis annis*.
Ora cacumen habet, *Crateres* ſæpe vocantur,
Non ſemel abſorpſere hæc ora cacumina montis.

Non ſemper mons hic crepitantibus ignibus uret,
Sic ſentit *Naſo, nam *funera* mundus habebit: *Met. lib. 15.
Et ſimul ac nutrimen edacibus æſtibus abſit,
Non feret *Ætna* famem; montemque incendia linquent.

Tempore ſed noſtro *ferventes* evomit *ignes*,
Quales vix unquam viderunt *ſæcla priora*,
Atque ita terribiles vix credent *ſæcla futura*:
Nondum nacta fidem præſagia grata *poetæ*.

Quo pacto tellus tremuit, quid deinde ſecutum
Exequar, atque modum, quo terra incendia volvit.
Mutatur *cœli* facies, vultuſque ſerenus
Nubibus obtegitur, tenebriſque *involvitur* atris:
Erupit ventus, qui celſi gurgite montis
Continuit, cujus motu concuſſa tremebat
Ætna, & *inauditis* reſonat *mugitibus* æther.
Indomito immanes fremuerunt *murmure venti*,
Antra Ætnea crepant, cœlum tonat omne fragore;
Mons gemit, & furibundis motibus *aſtra laceſſit*:
Collis *inauditus fremitus* mortalia terret
Pectora, & attoniti formidant *ultima fata*.
Irrequieta ſuis immugiit *Ætna cavernis*,
Terrificis piceas complens *ululatibus auras*.
Inſonuere *cavæ* ſonitumque dedere *cavernæ*;

Immenſa

Immenſa inſolitos ſpirarunt *antra fragores*,
Et vertex montis *reboavit* voce ſonora:
Horriſonus crepitus complevit *murmure* terram,
Et ſummos cælos *diro ſtridore* minatur.

Montis apex ſummus magno clamore dehiſcit,
Expirant ignes, & *in æthera fulmina* mittunt;
Scintillas vomuit, quoque ſaxa perhorridus æſtus,
Ignipotenſque Deus furiatas concitat iras:
Horrificam flammam rupti *extruſêre* camini.

Claudus laxatis ſævit *Vulcanus habenis*,
Scilicet indignans *pedibus* quod *tardus* habetur,
Et bacchans flammâ furibundâ *involvit Olympum*.
Fumea flammiferos ejectant *clauſtra calores*,
Totam corripiant atque hæc incendia terram.

Præterea fumus prorumpit ad æthera tendens,
Cœpit & *Ætnea* cœlum ſplendeſcere *flamma*;
Ignibus arripitur tellus, quoque nubila fumant:
Ferventeſque auras calor è fornace profunda
Ejicit, & *fumans* vorat *æſtus*, & undique torret.

Ignibus aſſiduis arſit *Vulcanius æſtus*;
Diffugiunt ſcintillæ, & lumine *fulgurat* æther:
Summa petunt *cineres*, rapiuntur ad aſtra *favillæ*,
Aſcenduntque rogi celeres, & *ſydera lambunt*,
Lucida ſubductos rapiunt *incendia cælos*.

Sol caput obſcuret, præbent incendia lumen;
Phœbo abſente diem flammæ *ſplendore* crearent,
Et magis horrendæ tenebroſa in nocte *coruſcant*.

Ætna die fumos nebuloſos ejicit alte,
Undique qui terram *denſa caligine* cæcam
Occultant, cœlum & *ſpiſſa fuligine* torquent.

*Ignis adhuc *micat*, & fervent incendia montis; *Aprili maxime ſæviit.
Plus ſolito ignivomæ tandem *caluere cavernæ*,
Horrida inacceſſo bacchatur *flamma furore*,
Æſtuat, & late *graſſatur*, ubique recurrens,
Duplicibus grandis flammavit *viribus Ætna*,
Nunquam viſa prius tantos *vomuiſſe* vapores.

Adde, quod inſaniterrorem montis adauget,
Triginta ſtadiis eſt lata *tremenda vorago*,
Ex hac *ſpelunca* venit ignis magna poteſtas,
Vaſtis horribilis prorupit *faucibus ardor*.

Et quod adhuc mirum eſt, æſtus *propellit* arenas;
Æſtuat & fervor, *liquefactaque ſaxa* revolvit,
Torrida flammivomis arſerunt *ſaxa caminis*,
Terrifici & lapides ex *vaſto gurgite* ſurgunt.

Non ſolum eructat mirando pondere ſaxa,
Verum ex *ſpelunca curva vomit* omne metallum;
Ora *bitumineas* ferrum emiſere *per auras*,
Ejectant *Sulphur*, quod flammæ viribus addit,
Sulphureis ignita arſit *fornacibus Ætna*.

Fertilitate novâ reparavit *pingue bitumen*
Damna ſua, & regio ridentibus *undat* ariſtis:
Commoda *Sulphur* habet, ſimul ac diſpendia magna.
Quo magis ardeſcit tanto eſt fæcundior *Ætna*

Inſula,

Insula, & ob *cineres* nunquam non fertilis arvus;
Trinacriæ segetes complerunt horrea *Romæ*:
Luxuriatque solum, nullo poscente labore
Omne ferens tellus, dedit otia grata *colonis*.
Fœnore cum magno reddit pinguissima terra
Semina, pro minimo præbebit centupla lucra.

Ignitum calido prorupit *flumen hiatu*;
Ætna suis *miris torrentibus* opprimit ædes:
Flumina saxorum, tum *flumina sulphuris* ibant,
Flebile ferventûm decurrit *flumen aquarum*,
Decidit in terram, & latos *exundat* in agros.
In tepidumque solum *currunt* liquefacta metalla
More fluentis aquæ; nec quicquam obsistere possit:
Saxa ruunt strepitu quoque per declivia montis,
Et rapidus fluvius *vertit* quodcunque resistit.

Omne *vorant* ignes, calidus *circumfluit* humor,
Obvia quæque suis rapiunt *Ætnea fluenta*
Ignibus, & multos pagos *ardentia* vastant.

Ardebant agris segetes, silvæque propinquæ;
Ardebant montes, raptis humoribus æstu,
Quod modo flumen erat, fit siccæ *campus* arenæ;
Præcipitesque cadunt ausæ *volitare* volucres,
Et pecudes pereunt, nec tutus piscis in undis:
Exitioque viris non paucis *torridus æstus*,
Pascua vicina & rapuit violentia flammæ.
Et jam *summa* procul villarum *culmina fumant*,
Oppida *montanis* sunt multa sepulta *procellis*,
Nobilis urbs *Catanæ* vix ignea flumina fugit.

Progreditur lentis ita greſſibus agmen aquarum
Quòd tandem domitas cohiberent *mœnia* vires.
Tot cineres quandoque volarunt, preſſa domorum
Corruerent tecta, & *ſtrages* fecêre *perennes*.

Hoc mirum eſt, *undas* ignes extinguere nolle;
In mare deſcendunt, ardores *gutta* refecit:
Tam bene conveniunt diſcordes ignis, & unda,
Juſſa *Deo juſto* offenſas punire virorum.

Sæpius *Ætneæ* flammas *vomuêre cavernæ*,
Terrificâre viros, nam ſemper *dira ſecuta*;
Cæſaris ante obitum (memini) concuſſa tremebat,
Extruſit *globulos* ignis, quoque fervida ſaxa:
Horrida permultos ejecit *flamma lapillos*,
Exundant apices, loca cuncta *bitumine* fumant,
Fœtida Tartareus projecit *Sulphura fervor*,
Corripiunt cœlos *rapidis fervoribus* ignes;
Diſſolvit lapides, ceu *ceram*, fervor aquarum,
Æthere turbatoque *rotâre* ingentia ſaxa,
Ætnicolæ extremas mundi timuere *ruinas*,
Impia perpetuam expectarunt *ſæcula noctem*:
Attonitique viri trepidant, *it clamor ad auras*,
Obſtupuere omnes, tanquam *orbis funera* ferret.

Sed non ſola ſuis miris *tonat Ætna* ruinis,
Sæpe expiravit *furiens Veſuvius* ignes;
Emiſit quondam *ardores* horrore tremendo,
Arſit in immenſum, nuper *Veſuvius* arſit,
Æſtate hac *tepidi* ſævivit flamma *Veſevi*.

Æſtibus

Æſtibus his periit tuus (*O Natura*) ſacerdos
Plinius, aſcendens montem cognoſcere cauſas
Ignis, & accedens ad *ſæva foramina* præceps
Decidit, abſque moſâ *rabido* correptus ab *æſtu*.

Empedocles Ætnæ (referebat **Horatius* olim)
Flammas inſiluit; *Deus immortalis* haberi
Ardet, & hoc ſperat divinos *quærere* honores:
Sic cecinit *Vates*, hæc ſunt *præconia* famæ.
Credere quis poſſit? Quærendi nominis ardor
Huccine præcipitat? Num dira in *Tartara* mittit,
Ut faciat famam æternos *remanere* per annos?
Si pereat, *mundi flammis* periiſſe juvaret,
Aſt quiſquam ſapiens in *fervida Tartara* jecit?
Hiſtoria eſt, montem petiit, ſi ſemina flammæ
Callet, & in vaſtum cecidit *temerarius* antrum.

*Lib. de Arte Poetica.

Deſinit *Ætna* æſtu quandoque rapace flagrare;
Deſcendêre homines & in *ora* voraginis ipſæ
Illæſi, ſtatimque focis *perterritus orbis*.

Flammarum ſaniem clara noſtra *Britannia* ſentit,
Namque *Novi Caſtri* foveæ carbonibus urunt,
Infando ſonitu *ferrum* quoque *ductile* fundunt.

Ante dies noſtros ſæpe obruit *oppida* collis,
Viſceribus terræ *ſtratas* reperêre *Plateas*
Saxis *Indigenæ*, quas dudum flumina montis
Preſſerunt, priſcis non ſurrectura *ruinis*.

Telluris gremio *flammam* natura reponit,
Quæ ſtrictis compreſſa locis *volvitque*, *fremitque*,

Anguſtis

Angustiis fervens agitat *fornacibus ignis*,
Atque exire cupit, *totum mundumque* minatur.
Scilicet, ut quondam venit *Cataclysmus aquarum*,
Sic *orbem* perdet flammarum copia; mirum
Quod nondum *terræ* rapuit *præcordia*: fervor
Ultima longævi perducet *funera Mundi*,
Cum fumabit *uterque Polus*, cum *sidera* Cœli
Alta ruent, *priscumque Chaos* remanebit in *Orbem*.

Ast *Mundi* (*miserente Deo*) producitur *ætas*;
Mulciber insanas tandem *compescuit iras*;
Terribilis ruptis candescere *flamma cavernis*
Desinit: & tantos linquunt *alimenta* calores.

FINIS.